

CAP. IX.

Nazaræorum error.

Nazaræi : cum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris Legis observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt.

I Nazaræi.) Hæc hæreticorum secta à pluribus prætermittitur, quàm observetur. Neque enim de ea quicquam Irenæus, Tertullian. Eusebius. Commemorant tamen Epiphanius, Augustinus, Theodoretus libr. 2. & Isidorus. Sed primum de voce ipsa Nazaræi quæstio est. Nam quas hic Augustinus Nazaræos vocat, Epiphanius Græcè Ναζωραῖοις appellavit & dixit. Differunt autem hæc tria vocabula inter se & origine siue themate, & significatione : & sono siue pronuntiatione, Ναζωραῖοι, Ναζηραῖοι, & Νατοραῖοι. Ναζωραῖοι vel Ναζωραῖοι, (vtrunque enim dicitur) est nomen gentile deductum ab vrbe Nazareth, quæ fuit in Galilæa gentium. Habet autem originem ab Hebræa voce נצר Netser quæ florem significat vel Germen, à qua ipsa vrbis Nazareth appellatio videtur deducta, quòd in loco floribus & arboribus confito, sita esset. Bernard. ex Cantic. I. Delectatur floribus Christus qui in Nazareth & concipi voluit, & nutrir. in lib. de Diligen. Dei. Ναζηραῖοι autem est vox sectæ. Eum enim significat qui Deo consecratus & separatus erat ad certum tempus eoque modo, quem Deus ipse præscripserat Numer. 6.

g. i.